tiâ eorum, quæ ad ſolvendos ejusmodi nodos neceſſaria ſunt, expedire queant, perſpicere haud poſſum. Sanè, non rarò aliqui ex auditoribus in tantas conſcientiæ anguſtias prolabuntur, ut cum deſperatione luctentur, & ſalus eorum in magnô periculô verſetur, ubi maximè in Miniſtro Eccleſiæ ſcientia requiritur, ne tùm ipſius, tum auditoris conſcientia periclitetur aut magis magisque ſaucietur, & anima auditoris perdatur, atque de manu Paſtoris non ſine ingenti ejus malo à DEO requiratur. *Unius enim animæ*, inquit Chryſoſtomus, Epiſc. Conſtantinop. Homil. 3. in cap. 1. Actor. *perditio tantam habet jacturam, ut nulla ratio poſſit æſtimare. Etenim ſi unius animæ ſalus tanti eſt, ut ob hanc Filius Dei fieret homo, tantaque pateretur,*